

vel usufructu nomine donatum est, aut concessum, seu aliter ipsi monasterio acquisitum, ut habeat, cum omni jure plantandi, novellandi, roncandi, pascendi, ligna cedendi, fœnum faciendi, & cum cæteris usibus suis in integrum. Præterea confirmamus quidquid habet in Curtibus Veragine, Campalis, Cassinelle, Bruxede, & in curtibus Castri veteris, Castelletti, Capriatæ, & in curtibus Boschi, Felegaroli, Urbe novæ, & quidquid habet in Frascheda, Ecclesiam S. Leonardi de Gamundio cum omnibus pertinentiis suis, usum boschi de Roboreto, quantum ei necesse fuerit, & molendina de Gamundio, & Veragina, & de Bosco, & Castro vestri, & quidquid habet ad S. Evadium; præterea usum maris, & fluminum, fontium quoque, ac stagnorum, quæ eidem monasterio sunt opportuna ipsi concedimus, & confirmamus in piscationibus, in aquæ ductibus, ac derivationibus, in molendinis, aut in aliis instrumentis utiliter faciendis. Postremo universum jus, quod ad nos pertinere dignoscitur in bonis ipsius monasterii pro remedio animæ nostræ ipsi condonamus, atque remittimus, statuentes ut nullus Archiepiscopus Marchio, Dux, Comes, Vicecomes, aut alia Ecclesiastica, Laicalisque persona parva, vel magna superscriptum Monasterium, aut res ejus nominatas, quas habet, aut possidet munificentia Principum, largitione Pontificum, donatione Marchionum, vel Comitum, sine quorumlibet fidelium ei collatas, aut aliter acquisitas, seu acquirendas audeat ullatenus imminuere, aut aliqua vexatione gravare, concedentes ipsum esse liberum, resque ejus liberas ab omni fodro, & ab omni exactione sub publica functione a pedagio quoque, & ab omni tributo in terris, aut in aquis intra fines Italiæ. Si quis vero hanc nostræ præceptionis paginam violare præsumserit centum libras auri optimi componat, medietatem Camerae nostræ, medietatem vero ipsi Monasterio persolurus, præfente pagina manu propria roborantes sigillo nostro jussimus insigniri. Hujus rei testes sunt Millo Taurinensis Episcopus, Otto Bobiensis Episcopus, Rodulfus Imperialis aulae Protonotarius, Marchio Opizo de Ossa, Marchio Moruellus, Marchio Puncisius, Comes Guifredus de Lumello, Arnoldus de Ovemberg, Drushardus, Marquardus dapifer, Philippus & Rolando.

Signum D. Henrici VI. Romanorum Regis invictissimi. Ego Joannes Imperialis aulae Cancellarius vice Philippi Colonienfis Archiepiscopi, & Italiæ Archicancellarii recognovi. Datum Viceriæ in Episcopatu Terdonensi anno Domini millesimo &c. regnante Domino Henrico sexto Romanorum Rege gloriosissimo anno regni ejus VI. (1) XVIII. &c. feliciter. Amen.

(1) Corrigere II.

*Decretum Ugonis Episcopi Aquensis de juribus Parochialibus inter Monachos S. Petri, & capitulum.*

72

MCLXXXVIII.

In nomine Domini. Ego Ugo Dei gratia Aquensis Episcopus de controversia, quæ vertitur inter

Canonicos S. Mariæ ex una parte, & Monachos S. Petri ex altera sic statuo. Quod Missa omnium mortuorum, qui debent sepeliri apud Ecclesiam S. Petri debet esse Canonice, sive fuerint invitati, sive non. Si vero Abbas noluerit cantare Missam, ante majorem Missam cantet Missam cum Diacono, & Subdiacono si sibi placet non pulsatis campanis, quod est signum majoris Missæ, omnesque oblationes, quæ fuerint in Missa majore, & in Missa Abbatis, nuncius Canonice, & Monachorum nuncii colligant, & sine fraude consignent duas partes de toto Canonice, & tertiam Monachis. Illis mortuis exceptis qui per professionem, & habitum Monachi, vel Conversi receperint, de quibus liceat Monachis sepelire secundum beneplacitum suum. Si vero aliquis in extremis agens habitum religionis sumserit, vel professionem fecerit in Monasterio, & infra tres dies mortuus fuerit, majorem Missam, & duas partes oblationum Canonice habeant, sicuti supradictum est. Si vero post tres dies mortuus fuerit, Monachi liberam habeant facultatem sepeliendi eum sicut superius dictum est de Monachis, & Conversis. Si vero constiterit quod Capellanus Monasterii fecerit obedientiam Episcopo, & majori Ecclesiæ, liberam habeat facultatem visitandi, & pœnitentiam dandi sicut consuetum est; fin autem, aut obediat, aut abstineat a prædictis. Omnes autem Capellani, qui pro tempore ibidem fuerint, teneantur de obedientia Domini Episcopi, & majoris Ecclesiæ. Et ego Jacobus Imper. aulae not. auten. hujus exempli sigillo cereo cum mu. . . sigillatum in quo continebatur Hugo Aquensis Episcopus ec.

*Decretum Milonis Archiepiscopi Mediol. circa celebrationem Letaniarum ad Monachos S. Petri Aquarum circa an. 1189.*

MCLXXXIX.

73

Milo Dei gratia S. Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscopus dilectis fratribus Abbati, & Conventui monasterii S. Petri Aquensis salutem, & omne bonum. Ex relatione Ven. Fr. nostri Hu. Episcopi . . . intelleximus, quod cum olim vos de modo celebrandarum Letaniarum, & aliis quibusdam capitulis, quæ in præjudicium, & honoris diminutionem majoris Ecclesiæ vestræ contrahas, & licitum videbamini attentare ex suo officio redargueret, & super hoc literas capituli nostri vobis destinari fecisset, de bona responsione vestra facta tam literis jam dicti capituli nostri, quam & correctione ejusdem Episcopi vestri gratiarum vobis exolvimus actiones. Commendandi etenim sunt, & debitis laudibus prosequendi qui a rectitudinis via licet aliquoties deviauerint bono zelo tandem, & spiritu ducti compunctionis ad rectam semitam redeunt, & sui commonitione prælati satisfactione condigna transgressionem suam laudabiliter emendare procurant. Cum igitur in benedictione candelarum in festo Purificationis B. Mariæ, & Olivarum in Dominica de Ramis Palmarum, atque solemnibus letaniarum celebrandis quondam minus bene feceritis, tam nos, quam dictus Episcopus quod in parte ista a vobis retrograde factum est, paterna mansuetudine